DE
VERSUUM CRETICORUM USU PLAUTINO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE X. M. AUGUSTI A. MDCCCLXI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ANDREAS SPENGEL

MONACENSIS.

OPPONENTIBUS:

LUDOVICO HIRZEL, STUD. PHILOL.

RENARDO KEKULE, STUD. PHILOL.

GUILELMO WAGNER, STUD. PHILOL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PATRI OPTIMO

HAS PRIMITIAS

OFFERT

FILII PIETAS.

DE VERSUUM CRETICORUM USU PLAUTINO.

Quid canticum sit, summus vir, quem tot in rebus principem et praeclarum ducem exstitisse nemo ignorat, Godofredum Hermannum dico, dissertatione quam anno 1811 »de cantico in Romanorum fabulis scenicis« scripsit, primus docuit. Post eum Godofredus Augustus Wolffius libello »de actibus et scenis apud Terentium« 1813 Gubenae edito, et copiosius deinde programmate »de canticis in Romanorum fabulis scenicis« 1824 Halae promulgato, eandem rem exposuit. Denique idem vir doctissimus in »Prolegomenis ad Aulularíam«, 1836 Numburgi editis, p. 30 sqq. breviter ad eam quaestionem recurrit.

Metra, quibus cantica constant, iam a veteribus grammaticis parum intellecta, tam diu spissa caligine obtecta latebant, donec Hermanni ingenium tenebras dissipavit: Bentlei enim opera, cum Terentius liberioribus metris rarissime utatur, ad cantica non multum pertinet: Hermannus autem in Elementis doctrinae metricae singula numerorum genera tractavit, eorumque leges ac rationes exposuit, et quas res homines docti antea tam male gesserant, ut aut omnia miscerent ac turbarent, aut manus

abstinere satius ducerent, composuit et ordinavit. Quodsi nihilo minus Plauti cantica non perpolivit, oblivisci non debemus, eum codicum suorum incerta fide semper impeditum fuisse: quae ipsa causa fuit, ut non nunquam longius quam opus erat, a libris recederet: praeterea autem aliquot cantica a librariis tam male habita exstant, ut vix unquam in integrum restitui possint.

Post Hermannum Ritschelius, qui cum optimorum codicum collationes publici iuris faceret, in perpetuum egregie de Plauto meritus est, in eis quas adhuc edidit fabulis alia ex librorum auctoritate refinxit, alia quaedam ipse restituit, multa autem satis libere conformavit et saepe a librorum memoria sine iusta causa recessit. Hac in re et Ritschelius et Fleckeisenus plurima corrigenda reliquerunt, cum per se pateat, non ex editorum arbitriis sed ex codicum aurifodina canticis auxilium petendum esse. Quanquam autem confiteor, in eis canticis, quorum metra adhuc iacent, audaciae veniam quandam esse, tamen ne in his quidem ad poetae verba restituenda audaciam prodesse apparet. Quis enim unquam sibi persuadebit, Mostellariae actus quarti scenam alteram tam miras corruptelas perpessam esse, ut nobis undeviginti, quibus constat, versibus non minus quam viginti tria verba interponenda essent, quorum quidem nullum sententia efflagitatur, omnia numerorum causa adduntur. Talibus in rebus haud scio an nescire pro sapientia habendum sit, et nos numeros ignorare fateamur oporteat.

Tametsi vero Ritschelii ingenio audaciam quodam modo condono, tamen mihi ipse in hac disputatiuncula id potissimum cavendum esse arbitratus sum, ne delendo et addendo et aliis tormentis tam diu inquirerem in miseros

versus, donec creticos se esse coacti profiterentur. Atque hoc quidem vitium satis me vitasse mihi conscius sum. Quotiescunque enim periculum aderat, ut meos lusus poetae obtruderem, ex altera parte Marium Victorinum ad me aggredientem videre mihi videbar, qui haec sua verba in libro descripta mihi ante oculos ponebat: »non turpe est aliquid nescire, sed in deterius emendare turpissimum est«, ex altera autem Pseudulum, qui magna cum voce clamabat: heus heús tu, amittis cérta, incerta dúm petis.« Ita admonitus codicum scripturam nusquam praepropere despexi, sed verba intellegere quam mutare, et poetam interpretari quam interpolare malebam.

Sed veniam peto huius degressionis et iam in viam redeo.

Constat in canticis saepissime numeros mutari. Eius mutationis causam Wolffius (de cant. p. 10) ex concitato animorum habitu repetendam esse putaverat. Sed nulla alia causa fuisse videtur, quam cantus ipse, qui varietatem modorum exigebat. Animorum enim habitus tantum abest ut in canticis magis quam in diverbiis concitetur, ut in eis quam maxime sedatus esse soleat. Neque id mirum. Non enim rebus agendis cantica inserviunt, sed is quem loquentem facit poeta, plerumque de vitae rationibus secum considerat, et quam ad normam ipse vitam suam dirigat exponit, et ex ingenii sui indole aut bonos aut malos mores profitetur. Itaque hic adolescens, qui amorem procul a se habere consuevit, amoris damna explicat, ille, Veneri obnoxius, in contrariam partem disserit: servus qui frugi est, boni ac fidelis servi imaginem proponit, qui nequam, in laudanda nequitia versatur. Philolaches (Mostell. II, 1) per totum canticum nihil aliud exponit, nisi quae simili-

tudo inter hominem et novas aedes intercedat: quo simulacro ad finem perducto in suam quoque vitam idem cadere addit. Apparet autem haec omnia ab animorum motibus procul abhorrere, quippe quae recordantium et philosophantium sint, et quietam potius considerationem quam excitatum animum exigant. Cum autem cantica — praecipue quae vera cantica sunt — plerumque hominum mores describant, in tanta personarum similitudine fieri non potuit, quin saepe argumenta inter se simillima habeant (v. Most. IV, 1. Men. V, 6). Inde fortasse aliquis colligat, eam materiam paullatim ita exhaustam esse, ut poeta, ne taedium afferret auditoribus, omnino ab ea re abstinere mallet: cui coniecturae hoc arridere videtur, quod in aliis fabulis plurima cantica inveniuntur, in aliis nulla. Nihil tamen ex hac re coniecerim. Non minus enim poeta in canticis eandem rem saepius tractare potuit, quam in totis fabulis componendis eandem materiam continuo retinebat. Praeterea autem nescimus, an omnia cantica servata habeamus, praesertim cum ad scaenarum nexum fere nusquam necessaria sint.

Sed has quaestiones relinquo, cum plus interesse videatur, ut quibus numerorum generibus Plautus in canticis usus sit, exponatur. Haec non omnia satis explorata sunt, neque inter editores semper convenit: videntur autem haec potissimum metra canticis tribuenda esse:

I.

Trochaici et octonarii et septenarii: dimetri catalectici (Pseud. v. 210—214. 217—218. Trin. v. 247—249): versus ex binis tripodiis catalecticis compositi (Bacch. v. 643. 645).

II.

Iambici et octonarii et septenarii et senarii. De senariis cf. Men. v. 352, 356, ubi iuncti sunt cum versibus anapaesticis: praeterea non nunquam iambici octonarii et septenarii in iambicum senarium exeunt, qua cum re cohaeret, longitudinem versuum, priusquam ad aliud metrum transeatur, aliquoties gradatim minui, velut Pseud. v. 1327—1329, ubi iambicos septenarios senarius excipit, eumque iambicus dimeter catalecticus:

Simo.

Redeó.

Pseud.

Simul mecum í potatum.

Simo.

Egone eâm?

Pseud.

Fac quod te iúbeo.

Si is aút dimidium aut plús etiam faxo hínc feres.

Simo.

Eo: dúc me quo vis. Quíd nunc?

ubi nihil mutandum: inde a v. 1330, cum sermo alio vertatur, sequuntur numeri cretici. Talibus autem versibus ne vim afferamus cavendum est.

Iambicorum octonariorum hypermetrorum exempla (v. Herm. Elem. doctr. metr. p. 299. Fleckeisen Amph. v. 1067) non satis constant.

Maximam autem difficultatem praebent versus partim iambice partim trochaice compositi, aut ex binis iambicis vel trochaicis partibus constructi (v. Stich. v. 3 sqq. Most. v. 899 sqq.).

III.

Varii breviores versus et trochaici et iambici generis, quos sub *clausularum* nomine comprehendere licet. Eorum usus latius patebat, quam editores statuerunt. Confirmat hoc etiam Marius Victorinus p. 2524: »clausulae solent in canticis magis quam diverbiis, quae ex trimetro magis consistunt, collocari, et praecipue apud Plautum et Naevium et Afranium.« Plautum igitur primo loco posuit, Terentium ne nominavit quidem. Cum autem Terentius non raro eis utatur, Plautum eas admodum frequentasse colligendum est.

IV.

Anapaestici octonarii et septenarii: dimetri et catalectici et acatalecti (cf. Men. II, 3), nec non monometer admiscetur, quanquam rarissime (cf. Men. v. 364). Anapaestici octonarii saepe a trochaicis octonariis vix discerni possunt, cum Plautus trochaicos octonarios spondaice et dactylice componere amet. Ceterum negari nequit, Plauti anapaestos haud raro auribus horrorem inicere, quanquam ea non tam poetae culpa esse videtur, quam linguae latinae, quae omnibus vocabulis oxytonis carens invita in hos numeros cogitur. Plantum quidem omni opera enisum esse videmus, ut reluctans linguae ingenium opprimeret, neque tamen oppressit. Contra Terentium ex arte fecisse putamus, cum hoc versuum genere omnino abstineret.

V.

Bacchiaci hexametri, tetrametri, trimetri, dimetri. Trimetros quidem iam Hermannus Elem. doctr. metr. p. 299

investigavit, sed cum libris suis non semper fidem habendam esse sciret, pro certo affirmare ausus non est. Eosdem Ritschelio quoque aliquamdiu suspectos fuisse, ex hac eius adnotatione ad Trin. v. 262 apparet: »trimetri bacchiaci in promptu sint, nisi suspectum hoc genus.« Postquam vero aliquot fabulas edidit, de hoc genere dubitari non posse recte intellexit (cf. Most. I, 4).

VI.

Cretici versus, de quibus infra accuratius tractabitur.

Alia versuum genera sunt, quae in canticis locum non habere videntur.

I.

Ac primum quidem *Sotadei* per aliquod tempus Hermanno fraudem fecerunt, cum in Elem. doctr. metr. p. 454 sqq. complures Aululariae, Stichi, Amphitruonis partes ad hoc metrum referret. Id quidem propter facilem et habilem illius metri naturam sine magna difficultate ei contigit. Sed ipse l. c. aliquantulum miratur, qua ratione Plautus ad hoc potissimum metrum delatus sit, cum ne Graeci quidem comici Sotadeis usi essent. Quin etiam omnino non canebantur Sotadei, sed recitabantur tantum, cum sola dictione coniuncti. Docet enim hoc Aristides Quintilianus I, p. 32: *ῥυθμὸς δὲ καθ' αὑτὸν μὲν, ἐπὶ ψιλῆς ὀρχήσεως· μετὰ δὲ μέλους, ἐν κώλοις· μετὰ δὲ λέξεως μόνης, ἐπὶ τῶν ποιημάτων μετὰ πεπλασμένης ὑποκρίσεως, οἷον τῶν Σωτάδου καὶ τινῶν τοιούτων.* Quodsi non canebantur, ex canticis excludendi sunt: neque enim credibile est, Plautum spreta illa lege nihilo minus Sotadeos adscivisse. Hoc argumentum Hermannum fugisse eo magis

miror, quod ipse in Elem. doctr. metr. p. 444 contra eos qui Ionicis a maiore modos facere voluerant (Apel), hoc Aristidis Quintiliani loco usus fuerat. Sed Hermannus, cuius minime mos erat, ut si quid minus recte statuisset, tamen sententiam suam mordicus teneret, de Sotadeis se errasse, et hos numeros ab omni poesi scaenica alienos esse, ipse libere professus est (vid. Zimmermanni Diurn. antiqu. a. 1837 p. 759). Quare nescio, quo iure nostra quoque aetate non nulli Hermanni Sotadeos retinere velint.

II.

Dochmiacos tragici Graeci valde adamarunt, maxime Euripides. Comici Graeci tunc tantum eis locum dederunt, cum tragoediam ad ridiculum quoddam argumentum detorquebant vel comoediam tragico quoddam colore affectam esse volebant. Latini vero comici, qui omnino a Graecis ea tantum metra adsciverunt, quae longioribus versibus apta expedite fluunt, dochmiacos, qui sibi ipsi repugnare et sermonem consulto retardare videntur, non adoptarunt. Pauca enim illa vestigia quae Hermannus in Plauto se deprehendisse putabat, sine mutatione aliis quoque numeris tribui possunt. Non nullis enim locis versus ex binis tripodiis trochaicis catalecticis praesto sunt, aliis alia. Ritschelius autem et Fleckeisenus in bacchiacis dimetris catalecticis refugium quaesiverunt, ita tamen, ut neuter dochmiacos numeros confidenter reiceret: nam (ille ad Bacch. v. 662, hic ad Rud. v. 230) dochmiaci et bacchiaci rhythmi fere optionem dant.

III.

Bacchiaci catalectici et dimetri et trimetri et tetrametri et hexametri in editionibus inveniuntur. Sed mihi

valde suspecti sunt. Qui enim loci eo referuntur, aut dubii sunt [1]), aut aliis numeris constant [2]), aut leni coniectura egent [3]), aut non sine mutationibus prodire potuerunt [4]), aut omnino huc non pertinent [5]). Tota autem quaestio duobus tantum versibus nititur, Men. v. 969 et 971 (nam 967 in codicibus acatalectus est). Hi duo vero mihi satisfacere non videntur, ut novum idque satis asperum numerorum genus Plauto tribuamus.

IV.

Si qui *dactylici* versus inveniuntur, ad trochaeorum

---

[1]) Velut Most. v. 858 sqq. Tota scena tam lacera est, ut inde a v. 858 usque ad v. 869 ne unus quidem versus certus sit.

[2]) Ita Men. v. 974:

Vérbera compedés molae
Mágna lassitudo
Famés frigus dúrum,

quorum primus trochaicus dimeter cat., alter tripodia trochaica acat, tertius bacchiacus dimeter est.

[3]) Most. v. 313:

Advórsum veníri mihi ád Philolachétem

iam ab Hermanno restitutus. Cf. v. 317. 349.

[4]) Ex his affero Most. v. 345:

Non mírum aut novóm quippiám [nunc] facít,

qui versus duabus tripodiis trochaicis constat:

Nón mirum aut novom quíppiam facit.

[5]) Bach. v. 20. Si Servii ipsius verba (vid. Rit.) respicimus, patet nos prorsus nescire, quo casu, quo verborum nexu, quo loco »latronis« vocabulum positum fuerit. Etenim si Servius »latronem« cum sequentibus iunxisset, dicere debebat: »militem dicens latronem suam qui auro vitam venditat.« Nunc autem non nisi hos numeros dedit:

suam qui aúro vitam vénditat,

quae iambici vel trochaici versus pars est, similiter ac quae praeposita sunt fragmenta duo, a Ritschelio vix recte in unum versum coniuncta.

genus referendi sunt, si qui *choriambici*, in creticum rhythmum cadunt.

V.

De *Saturniis*, de quibus Weisius libellum scripsit (der saturnische Vers bei Plautus. Quedlinb. u. Leipz. 1839), non est cogitandum.

Ex his versuum generibus hoc loco de creticis potissimum accuratius quaerere proposuimus. Ne autem fundamenta tanquam in aqua ponamus, ita rem geramus oportet, ut eae fabulae, in quibus Pareanis tantum copiis uti licet, fere prorsus excludantur. Praeterea eos locos, ubi aliquid emendandum visum est, paullo copiosius tractabo, non quasi semper me verum vidisse putem, sed Mureti praecepti memor, ut ad Plautum emendandum omnes omnia conferant.

DE VERSIBUS CRETICIS.

Versibus bacchiacis et creticis poeta maxime delectatus esse videtur. Cretici quidem, quanquam paullo rariorem eorum quam bacchiacorum usum deprehendimus, tamen in plerisque canticis inveniuntur, et canora sua numerorum ratione insignes sunt, et diligentissimam compositionis formam prae se ferunt. Nullum enim aliud metrum est, quod licentia prosodiaca parcius utatur, rariusve accentum grammaticum numerorum accentui repugnare patiatur. Cum autem haec eius rhythmi indoles ac natura sit, ut non certam aliquam animi affectionem depingat, non modo ibi creticis locus est, ubi res media versatur inter quietem et perturbationem, sed etiam variis animorum motibus accom-

dantur. Itaque et protervitati Pseuduli (V, 2) aptantur, qui vino madens erum suum ludificatur, et Menaechmi (I, 2) minis atque conviciis, quibus uxorem in domum repellit, neque minus Mnesilochi (Bacch. 620 sqq.) desperationem reddunt, quam impotentem Chrysali (Bacch. IV, 4) laetitiam.

Licentiam prosodiacam, ut hanc rem primum absolvam, raro admisit poeta, nullam, quae senario excludebatur. Quod ut probetur, singula exempla ante oculos ponamus oportet. Ea sola licentia — si modo licentia nominari potest — magis quam in senario frequentatur, ut pronomina »mihi, tibi, sibi«[1]) posteriorem syllabam producant. Praeterea autem, si eos versus mittimus, quorum numeri non constant, haec pauca notanda sunt in novem fabulis a Rit. editis: Pseud. v. 1131:

Vênus mihi haec bóna dat, quom hos húc adigit
lúcrifugas

(ita enim recte A.) »Venus« monosyllabum, ut in senario Bacch. v. 115 et »venustas« saepe disyllabum.

»Ille« et »iste« priorem corripiunt Trin. v. 246:

'Et istuc et si ámplius vís dari, dábitur,

qui praecedit versus, fortasse ita scribendus:

'Ibi [illae] ille cucúlus: o océlle mi, fíat.

»Boni« posteriorem corripit — hoc enim rectius videtur, quam monosyllabum statuere — Trin. v. 272:

---

[1]) Quodsi eam productionem magis quam in senariis frequentari dico, monendum est, in Ritschelii et Fleckeiseni editionibus eam non inveniri in senariis. Ritschelius enim in Prolegg. p. 170 hanc licentiam ad solos creticos pertinere statuerat, et persuaserat Fleckeiseno. Sed etiam per totum senarium idem licuisse (v. Poen. I, 1, 23. Cist. IV, 2, 54. Rud. v. 108. Cap. v. 716) et alii antea intellexerant, et nunc Ritschelius et Fleckeisenus ipsi agnoscunt.

Bóni sibi haec éxpetunt, rém fidem [et] honórem,
item in trimetro cret. Trin. v. 298:

Túrbidos quís boni dedécorant se.

De Men. v. 574 vid. infra.

Literam »s« in vocabulorum fine abstrudi, cuius licentiae Plautus omnino non tam amans fuit quam Terentius, in creticis certis exemplis demonstrari non potest. Nam Trin. v. 283:

Nóvi ego hoc saéculum móribus quíbus siet,

et eiusd. v. 298:

Túrbidos, quíbus boni dedécorant se,

refugium habent in forma »quis«, ut »mage« latebram praebet eiusdem versui 274:

Eô mihi mágis lubet cúm probis pótius quam.

Ex Pseud. autem versibus 1110 et 1111:

Nísi uti sese ímprobis ártibus sustíneant:
Cum hís mihi néc locus nec sérmo convenit,

priorem quidem acatalectum facere possis ita distributis pedibus:

Nísi uti sese ímprobis ártibus sústineant,

sed codices prabent »téneant«, idque defendi potest. Posterior autem tetrameter acatalectus esse videtur:

Cum hís mihi néc locus néc sermo cónvenit.

Hoc ipso versu ad aliam quaestionem ducimur, quatenus *molossus* cretici vice fungi possit.

Cum enim Bentleius molossum pro cretico admitti monuisset, Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 205 eum pedem tamen ita temperari solere addit, »ut aut propter ambiguitatem mensurae non sit molossus, aut a pronuntiatione, accentum solum sequente, obscuretur.« Quod autem *solere*

eum pedem temperari dicit, ipse observasse videtur, non omnes versus pariter eis regulis submitti posse. Et re vera neque ambiguitas mensurae semper molossum sublevat, ut Pseud. v. 1332:

Té sequor: quín vocas *spéctatorés* simul?

neque pronuntiatio ubique molosso sucurrit, ut Most. v. 109:

Cónfringit tégulas ímbricesque, ibi

Quare Mostellariae quoque v. 717 defendi posse arbitror, qui in libris sic legitur:

'Accedam. Dí te ament plúrumum Simo.

Quanquam enim Ritschelii coniectura »'Accedam [huc] e. q. s.« duabus ex partibus commendari videtur, primum quod »huc« vel similia vocabula saepe tali formulae adduntur, deinde quod pronuntiationis facilitas augetur, tamen neque codicum lectio a Plautino sermone abhorret (vid. Pers. v. 788), neque duriorem accentum coniectura removere ausim. Non vereor autem, ne his exemplis illam quam supra proposuimus legem, in creticis accentum grammaticum cum numerorum accentu maxime conciliatum esse, ad irritum cadere putes: non enim eam conciliationem in creticis semper inveniri, sed in eis magis quam in aliis versuum generibus observatam esse contendimus.

DE CRETICO TETRAMETRO.

Creticorum versuum nobilissimus est tetrameter. Constat eum in fine secundi pedis hiatum et syllabam ancipitem admittere, quia ex duobus dimetris compositus est, sive, ut rectius dixeris, compositus esse potest: non nun-

quam enim binae partes tam arcte inter se cohaerent, ut discindi nequeant, velut Most. v. 106:

Cúm pigra *fámilia inmúndus* instrénuus.

Tertium quoque pedem ultimam ancipitem habere, Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 212 statuit. Longius etiam progressus est Ritschelius, cum in Prolegg. p. 196, ubi de variorum versuum caesuris disputat, haec diceret: »Quodsi, inquit, in creticis versibus hiatum vel syllabam ancipitem non principalis tantum caesura totius versus, sed singulae caesurae podicae admiserunt, quod factum esse constat, hoc e singulari natura cretici numeri repetendum est, cuius singuli pedes tanquam catalecticos ordines efficiunt.« Atque his addit in adnotatione: »Quanquam non est quovis pacto factum. Nam etsi in Hermanniana descriptione eorum versuum, qui nobis sunt Trin. 247 sq., recte hic se creticus habet:

'Ibi pendentém ferit: iam ámplius órat,

tamen in brevem vocalem desinens vox dactylica non potuit pro cretico substitui v. 251:

Nóx datur: dúcitur fámilia tóta:

quod genus elegantia artis respuit.«

Hanc quidem postremam distinctionem, cum non tam ex argumentis, quam ex incerto quodam sensu petita sit, pro diiudicandi norma habere nolim. Sed prius ad Hermanni sententiam vertamur. Quam ut probandam non esse putemus, hoc potissimum nos movet, quod Trin. v. 247 et quae paucissima alia exempla Hermannus istam legem profiteri voluerat, nunc codicum auctoritate in aliam formam redacta sunt, et Trin. v. 251, qui solus relinquitur, facile corrigitur, si aut Gepperti traiectionem agnoscimus:

Nóx datur: fámilia dúcitur tóta,

aut, si alliterationem retinere praestat, cum Rit. »ei« interponimus, quod ipsum Hermannus in editione Trinummi olim interposuerat.

Quodsi haec licentia in tertio pede non probatur, multo minus Ritschelio concedendum videtur, singulas caesuras podicas hiatum et syllabam ancipitem admisisse. Neque vero ipse ea lege saepius usus est quam semel: Pers. v. 790:

Dórdalus híc quidemst. Quín iube [eum] adíre?

»Dordalus, inquit, pro cretico est, ut Chrysalus Bacch. v. 1112.« At neque ex hoc versu defensionem petere possumus, cum ibi »Chrysalus« secundum pedem efficiat:

'At mihi Chrýsalus óptumus homó [meum],

et facillima mutatio in promptu est: »Dordalust hic quidem.«

Sin autem, ut Hermanni verbis utar, vel interpunctio maior vel personae mutatio vel alia quaecunque idonea causa pausam fieri sinit aut postulat, hiatus productioque brevis syllabae invenitur. Veram esse hanc legem quis neget? Tamen eius quoque licentiae tam rarus usus est, ut ex novem fab. a Rit. edd. ne unum quidem exemplum afferre possim. Quibus enim versibus Hermannus usus est, ei aliis numeris adscribendi sunt. Nam Most. v. 338, quem (Elem. p. 207) permire ita legit:

Iám revortár. diu — ést ïam — íd mihi

aut creticus dimeter est cum troch. tripodia cat. coniunctus:

Iám revortár diu ést ïam id mihi

aut creticus trimeter:

Iám revortár diust iam íd mihi:

Most. v. 136 suis numeris Ritschelius iam restituit:

Pérdidi operám fabrorum ílico oppido.

Eiusd. autem vv. 151. 152 Hermannus (Elem. p. 207) bis hiatum admiserat:

'Arte gymnástica dísco — hastís pila
Cúrsu — armís equo víctitabám volup,

idque placuit Ritschelio in Proleg. p. 205, nisi quod postea in editione Mostellariae ita versus distribuit:

['Arte gymnastica]
Dísco hastís pila cúrsu armís equo
. . . . . . víctitabát volup.

sed Hermannus ipse Elem. p. 303 veros numeros intellexit neque quidquam corrigendum reliquit, nisi versiculorum distributionem, de qua infra dicendum erit. — Utrum autem Trin. v. 272:

Bóni sibi haec éxpetunt, rém *fidem*, honórem,

enumeratio hiatum satis excuset necne, non audeo discernere. cf. Lachm. ad Lucret. VI. v. 743 et 387; Ritsch. Prol. Trin. p. 202. —

Singulare est, quod monere restat, Pseud. v. 1334 ultimam cretici tetrametri syllabam elisione facta cum sequente versu coniunctam videri:

Vérum si vóltis adplaúdere atque ádprobare
Húnc gregem et fábulam, in crástinum vós voco.

De talibus versibus Terentii cf. Lachm. ad Lucret. II, v. 118 et confer editiones. De Plauto incerta res est: potest enim hic locus recte se habere, sed non neglegendum tamen, codices »vos vocabo« praebere et inde Hermannum Elem. p. 304 non improbabiles bacchiacos tetrametros effecisse:

Verúm sultis ádplaudere átque adprobáre hunc
Gregem ét fabulam ín crastinúm vos vocábo.

(de »sultis« cf. Men. v. 350, Stich. v. 65. v. 220.) Ceterum hi versus etiam eam ob causam memorabiles sunt, quod Pseuduli ultimam scaenam claudunt. Reliquae enim fabulae in trochaicos tetrametros exeunt praeter Stichum, quae iambicis septenariis clauditur.

Pro cretico in unoquoque pede *choriambus* substitui potest. Exempla ubique occurunt. Eis versibus, qui choriambo in ultimo pede sedem dederunt, addendus est Pseud. v. 1249:

Pérgitin pérgere? ah sérviundúm mi hodiest.

ubi non egemus mutatione: »serviundum mihist.« — Tribus choriambis et uno cretico constat Men. v. 110:

Ní mala ni stúlta sis, ni índomita impósque animi

non enim necessarium est, ut cum Hermanno (Elem. p. 221) et Ritschelio, »sies« scribentibus, secundum quoque pedem choriambum faciamus. Eodem referendus est Asin. v. 133:

Péllecebrae, pérnicies, ádulescentum éxitium

hunc enim versum creticis, non, ut Fleckeiseno visum est, his bacchiacis numeris constare:

Pellécebrae, pernícies, aduléscentum exítium,

non modo ex eo colligi licet, quod et praecedunt sex cretici tetrametri et quattuor sequuntur, sed etiam inde apparet, quod in tota Asinaria ne unus quidem versus bacchiacus exstat.

Catalectici tetrameti cum acatalectis sine discrimine iuncti esse videntur. Ita Trin. v. 243—246 unus tantum acatalectus, reliqui catalectici sunt, et Rud. v. 273 catalecticus est, quanquam acatalecti septem praecedunt et quattuor sequuntur. Sin autem canticum cretico tetrametro vel trimetro clauditur, saepius catalecticus versus invenitur,

quam acatalectus, quia in catalexi numeri aptius conquiescere videbantur.

Iungitur autem tetrameter creticus cum variis aliis versibus:

1. Cum *trochaicis*, quorum exemplum Hermannus affert Most. v. 142—145:

Cóntinuo pro ímbre amor advénit in cór meum,
Is úsque in pectus pérmanavit, pérmadefecit cór meum.
Núnc simul rés, fides, fáma, virtús, decus
Déseruerunt, égo sum in usu fáctus nimio néquior:

primo versu Ritschelius non debebat Bothium sequi, qui »cor meum« ex proximis irrepsisse putaverat: alterum iambicum octonarium esse, non, ut Hermannus putaverat, trochaicum septenarium, Ritschelius vidit.

2. Cum *iambicis*, quod et ex loco proxime allato patet, et saepe invenitur. Most. v. 107:

'Atqui ubi illo ínmigrat néquam homo indíligens,
Cúm pigra fámilia, inmúndus, instrénuus,
Hinc iam aédibus vitium ádditur, bonaé quom curantúr male.

v. primo »atqui« pro »atque« scripsi (cf. Pers. 580).

Cum iambico dimetro acatalecto Bacch. v. 646:

Quicum égo bibo, quicum édo et amo,
Régias cópias aúreasque óptuli.

3. Creticorum tetrametorum cum *creticis trimetris* mixtorum satis memorabile exemplum Trin. v. 293—300 infra tractabitur. cf. etiam *dimetros*.

4. Praeterea in *bacchiacos* transeunt Most. v. 329:

D. Sí cades nón cades quín cadam técum.
C. Jacéntis tollét posteá nos ambo áliquis.

5. Saepissime cum eis versibus consociantur, qui e ***dimetro cretico et trochaica tripodia*** catalectica compositi sunt, Most. v. 150:

Cór dolet, quóm scio, ut núnc sum atque ut fui:
Quó neque indústrior dé iuventúte erat,

6. Cum versibus *binis tripodiis trochaicis* constantibus.[1]) Most. v. 1302:

Crédo equidem potis ésse te, scelus,
Mássici móntis ubérrumos quáttuor

7. Pers. v. 758 sq. *anapaesticum* paroemiacum cretico tetrametro subiungi non fugit Hermannum:

'Ite foras: híc volo ante óstium et iánuam
Meos párticipes bene accípere.
Státuite hic léctulos: pónite hic quae ádsolent:
Hic státui volo primum áquolam.

Anceps vero iudicium est de Pseud. v. 921:

Haéc ea occásiost: dum ílle dormít, volo
Tu príor ut occupés adire.

Hoc enim unicum exemplum esse videtur iambici dimetri hypercatalecti cum cretico tetrametro coniuncti, neque apud bacchiacos quidem, qui saepissime iambicis clausulis utuntur,[2]) dimeter hypercatalectus certus est. Tamen istum

---

[1]) Trochaicae tripodiae non nunquam transitum faciunt ab aliis numeris ad creticos (vid. Pseud. v. 259. Bacch. v. 643), et omnino appetere solent creticorum vicinitatem. Sed etiam aliis versuum generibus eas admisceri, omni dubitatione caret.

[2]) Bacchiacorum principalis clausula iambicus dimeter catalecticus est. Most. v. 90:

Similem ésse arbitrárer simulácrumque habére:
Id répperi iam exémplum.

Eiusd. v. 98. v. 102. Saepe ab editoribus neglecta, velut Bacch. 1121:

Pseuduli versum non prorsus damnaverim. Sin autem mutatione opus est, traiectione iambicus dimeter acatalectus conformari potest:

Tu príor adire ut óccupes.

Ceterum Weisius et Ritschelius eiectis »ut« et »adire« creticum dimetrum facere conati sunt:

Tú prior óccupes,

et iam Bothius »adire« deleverat. At cf. Most. v. 566: »set occupabo adire.«

DE HEXAMETRO CRETICO.

Utrum Plautus hexametris creticis usus sit necne, vix certo discreveris. Rarissime enim hic versus invenitur et ubi invenitur, facile in tetrametrum et dimetrum disiungitur. Apud Ritschelium autem, ni fallor, haec duo tantum exempla leguntur. Men. v. 575:

Rés magis quaéritur quám cluentúm fides, quoîus-
modi clúeat.

quem ita dividere licet:

Rés magis quaéritur, quám cluentúm fides,
Quoîusmodi clúeat.

Ego átque hic. B. Quid hóc est negóti nam amábo?
Quis hás huc oves adégit?

Eiusd. v. 1139:

Ne bálant quidém quam a pecú cetero ábsunt:
Stultae átque malae vidéntur.

Eiusd. v. 1140:

Revórtamur íntro sorór. N. Ilico ámbae
Manéte: hae oves volúnt vos.

et aliis locis.

Alter autem Men. v. 572:

'Atque uti quíque sunt óptumi máxumi mórem habent húnce:

non satis certus est. Unus addendus esse videtur Pseud. v. 935:

Sét vide ornátus hic mé satin cóndecet? P. 'Optume habet S. 'Esto.

hoc quoque loco tetrameter et dimeter facile separantur, et dimeter claudit tetrametros. Deinde trochaici octonarii incipiunt, ita fortasse scribendi:

Tántum di boni ínmortales tíbi dent, quantum tú tibi optes:

Nám si exoptem, quántum dignu's, tántum dent, minús nihilo sit:

neque temere illo potissimum versu ad trochaicos numeros transitur, quod »esto« priori sententiae finem fecit, et nunc Pseudulus gratulatur et adhortatur. Id quoque lucramur, ut versuum distinctionem in libris servatam retineamus, et in sequentibus non tam longe a codicibus recedendum sit, quam Ritschelio opus fuit.

DE DIMETRIS CRETICIS.

Dimetri cretici non ipsi suis numeris nituntur, neque plures continuantur, sed semper aliis versibus adhaerent, eisque aut praemittuntur, aut clausularum in modum subiciuntur. Inveniuntur autem cum omnibus fere generibus coniuncti:

1. tetrametro cretico praemittitur dimeter Most. v. 333:

C. Hém tene. D. Age i í simul.

C. Quó ego eam, an scís? D. Scio. C. In méntem venít modo:

Némpe domum eo cómmissatum. D. 'Immo istuc
quidém. C. Jam memini.

Personarum notas in prioribus duobus versibus Hermannus recte distribuit: in tertio, qui est trochaicus octonarius, et ab Hermanno (Elem. p. 214) et a Ritschelio recedendum erat. Nihil interponendum est.

2. bacchiaco tetrametro praemittitur, Pers. v. 251:

Jóvi opulento, íncluto,
Ope gnáto, suprémo, validó, viripoténti.

3. iambico senario Men. v. 351:

Síne foris síc: abi,
Nolo ópperiri: intús para curá vide.

4. trochaico septenario Pseud. v. 1122:

Léno argentum hóc volo
'A me accipiat átque amittat múlierem mecúm simul.

5. trochaico octonario Pers. v. 797:

Júrgium hinc aúferas,
Sí sapias. D. At bóna liberta haec scívisti et me
célavisti?

Eisdem numeris constare puto Most. v. 320 sq., qui versus apud Rit. sic leguntur:

D. Sémper istóc modo [túte] morátus:
. . . . vita, debébas.
C. Visne égo te ac tu méd amplectáre?

Ad lacunam editores refugerunt, quia verba sensu cassa sunt. Cum autem codices neque »med« agnoscant (vid. Umpfenbach. Melet. Plaut. p. 40), neque lacunae signum praebeant, ita correxerim:

D. Sémper istóc modo
Móratus vitám degebas. C. Vísne ego te ac tu
me ámplectare?

Callidamates enim ex Delphio quaesiverat, num se madere putaret. Respondet Delphium: per totam vitam is tibi mos erat, ut maderes. »Aetatem degere« legitur Cist. I, 1, 79.

Haec omnia praemissi dimetri exempla fuerunt: rarius subiungitur. Claudit creticum tetrametrum Pseud. v. 262:

Vérba re núnc facis: stúltus es, rem áctam agis.
Ps. Nósce saltem húnc quis est.

quae excipiuntur iambicis septenariis.

Pseud. v. 922 huc non pertinere iam exposuimus.

Trochaico autem septenario creticum dimetrum subiunctum esse contenderim Pseud. v. 1108:

Lúxantur, lustrántur, comedunt, quód habent, ei nomén diu
Sérvitutís ferunt.

Parum enim probabiliter Ritschelius:

Luxántur, lustrántur, comedúnt quod habent, [quód non]:
Ei nómen diú servitútis ferúnt.

Catalecticus dimeter creticus trochaicum septenarium sequi videtur Pseud. v. 1264, quem locum, ut restituendus esse videtur, adscribo:

Manú candidá cantharúm dulciférulum
Propínare amícissumam amícam,
Néque ibi esse alium alii ódio nec moléstum nec sermónibus
Mórologis úti.

primo versu »dulciferulum« conieci pro »dulciferum« (ut »plagigerus« et »plagigerulus«) alterum versum bacchiacum trimetrum esse certum est: tertio codicum scripturam

revocavi (nisi quod libri »ibi« male repetitum habent). Ceterum Ritschelius:

Manú candidá cantharúm [tum] dulcíferum
Propínare amícissumám [tibi tuam] amícam
Neque ibi álium alii esse ódio, nec sérmonibús morologís uti [quénquam]:

Praeterea etiam hexametros creticos in tetrametri et dimetri cat. formam redigi posse, monuimus.

Cretici dimetri medii inter tetrametros creticos positi in eis fabulis quas Rit. edidit non inveniuntur, in ceteris autem nonnulla exempla exstare videntur.

Restat ut moneam, creticum dimetrum acatalectum posteriorem pedem semper purum creticum habere, quod vix casui tribendum est.

DE TRIMETRIS CRETICIS.

Trimetrorum creticorum nulla mentio fit apud Hermannum, neque Ritschelius eos agnovit. Solus Fleckeisenus hoc genus spernendum non esse intellexit. Etenim in decem fabulis ab eo recensitis tres trimetri sunt, ex quibus acatalectus unus Curc. v. 101:

Tú mihi stácte, tu cínnamum, tú rosa,
Tú crocinum et cásia's, tu bdéllium,

ubi trimeter claudit tetrametros: reliqui duo catalectici, cum troch. tripodia cat. antistrophice coniuncti, Rud. v. 953 et 955, quos Hermannus (Elem. p. 221) versus ex choriambo et dimetro cretico compositos nominaverat:

Sí fidem modo
Dás mihi te nón fore infídum.

Gr. Dó fidem tibi.
Fídus ero, quísquis es. Tr. Aúdi.

Quodsi in decem fabulis haec tria tantum exempla exstarent, tam rarum usum sane mirarere et eos ipsos versus in dubitationem vocari liceret. Sed si ubique codicum vestigia sequimur, trimetrorum numerus non paullum crescit. Ac primum quidem se offert locus (Trin. v. 293—300), cui plurimum tribuendum est, quia et Cod. A. in auxilium vocari potest, et Trinummus fabula a librariis bene habita est, et Plautus horum versuum compositionem legem quandam profiteri voluit. Tetrametros enim et trimetros alternos se excipere contendimus. Nunc autem haec leguntur:

Hís ego de ártibus grátiam fácio
Né colas, ne ímbuas [eîs tuum] ingénium.
Meô modo et móribus vívito antíquis:
Quae égo tibi praécipio ea [mémineris] fácito.
Níhil ego istós facetós moror móres,
Túrbidos, quíbus boni sése dedécorant.
Haéc tibi sí capessés mea impéria,
Múlta bona in péctore [consília] consídent.

In his multa ex coniectura facta sunt. — v. 294: »eis tuum« Rit. interposuit, — v. 296: »praecipito et facito« libri. »ea« pro »et« Pius. »memineris« Rit. — Fleckeisenus nunc »recipito et« scribit. — v. 297: »moror faeceos mores« codd. — »facetos«, e Camerarii coniectura, non congruit cum sententia. Non enim nimiam morum elegantiam Philto notat, sed hiulcam gentem (v. 286), quae omnia rapit, trahit, fugit, latet (v. 288). »faeceos« Bergkius, quod vocabulum aptum sententiae sed nusquam occurrens, donec melius inveniatur, interim reci-

piendum videtur. — v. 298: »dedecorant se« libri cum A. — v. 300: »consilia« Herm. Rit.; »praecepta« apud Fleck. legitur.

Nihil interponitur et numeri recte procedunt, si revocata codicum scriptura ita statuas:

Hís ego de ártibus grátiam fácio,
Né colas, ne ímbuas íngenium.
Mêo modo et móribus vívito antíquis:
Quae égo tibi praécipio, eá facito.
Níhil ego istós moror faéceos móres,
Túrbidos, quís boni dedécorant se.
Haéc tibi sí capessés mea impéria,
Múlta bona in péctore consídent.

Est systema accurate compositum. De solo v. 296 id dubitari potest, utrum catalecticus trimeter sit an acatalectus: licet enim etiam sic dimetiri pedes:

Quae égo tibi praécipio ea fácito,

aliud quoque latere potest in codd. memoria »praecipito et«, vel »et«, ut male a librariis additum, deleri licet:

Quae égo tibi praécipio fácito,

de trimetro autem noli dubitare. — v. 298 utrum »quis« an »quibus« scribatur, ad numeros nihil interest.

Ut hoc loco creticum trimetrum canticum claudere vidimus, ita etiam praecedens Trinummi canticum eodem versu clauditur, v. 275:

Eô mihi mágis lubet cúm probis, pótius quam
Cum ímprobis vívere vanídicis.

»una« post »probis« inseruit Rit., »veris« Geppertus.

Eodem modo creticus trimeter clausulae vice fungitur Bacch. v. 1116:

Pt. Quí scis? N. Vidi. Pt. Heí mihi dísperii.

praecedunt huic versui septem cretici tetrametri: qui postquam hoc trimetro clausi sunt, ad trochaicos septenarios sermo transit. Ceterum Hermannus olim (Elem. p. 213) creticum dimetrum descripserat cum exclamatione:

Pt. Quí scis? N. Vidi. Pt. Heí mihi,
Dispérii.

quod cum ferendum non esse intellegeret, in editione Bacchidum anapaesticum dimetrum dedit:

Pt. Qui scís! N. Vidi. Pt. Hei mihi dísperii.

sed ne huic quidem aptus locus est. Rit.:

Pt. Quí scis? N. Vidi. Pt. Heí mihi [mísero]
dispérii. —

Alia trimetrorum exempla sunt Bacch. v. 622 et v. 624, quem locum editores satis audacter refinxerunt. Sed vide ne haec revocanda sint:

(620) 'Omnibus probris, quae ímprobis viris
Dígna sunt, dígnior núllus est homo:
Quí patri réddidi omne aúrum amens,
Quód fuit praé manu. súmne ego homo miser?
Pérdidi me átque operam Chrýsali.
P. Cónsolandus híc mist: ibo ad eûm. Mnesiloche
quíd fit? Mn. Perii.

Ita libri nisi quod v. 622 »amens« pro »amans« Hermanno debetur. Eodem versu post »aurum« et sequente post »ego« cod. B. lacunam vel rasuram trium fere literarum exhibet, quas pro turbarum indicibus Rit. habuit. Sed nihil intercidisse videtur, et quia ad sententiam nihil desideratur, et quia in cod. B. haud raro duarum vel trium literarum spatia inveniuntur, ubi nihil deesse plerumque Rit. ipse concedit. cf. eiusd. v. 615. 638. 649. 1123. — Versus 625 (item sequentis versus) numeros

Hermannus intellexit[1]), sed non necessarium erat, initium iambicum facere: »Solándus hic mist e. q. s.« Priores versus idem in Elem. p. 220 ita disposuerat:

Quí patri réddidi omne aúrum quod fuit
Praé manu. súmne ego
Hómo miser? pérdidi me átque operam Chrýsali

Postea longius a codd. scriptura abiit:

Dígna sunt, dígnior núllus [aeque] ést homo:
Quí patri réddidi quód fuit praé manu.
Súmne ego améns homo?
Heí miser, pérdidi me átque operam Chrýsali.

Haec non probabilia sunt: nam primo versu »aeque« interposuit, altero »omne aurum« ut glossema delevit, deinde »amans« in proximum v. transposuit, denique »hei« adiecit. Multo etiam minus probabilia Rit. conformavit, cum ab hac descriptione profectus pro »hei miser« »qui misere« scriberet et ex dimetro tetrametrum efficeret, verba »credibile hoc est« ex v. 616 huc transponens simul mutata in: »credibile hoc quoipiamst?« Cum autem haec non propter metrum sed sententia exigente se transposuisse dicat, sententiarum nexum (v. 615), qui quidem optime se habet, explicemus oportet. Dicit autem Mnesilochus: Malevolente ingenio ego natus sum: aliis malefacere volui, sed nunc — quis hoc credat? — mea malitia

1) Consentaneum est enim, iam inde a v. 625 numeros mutari, quod Mnesilochus secum loqui desiit et Pistoclerus se aggressurum esse pronuntiat. Cf. Men. v. 775, ubi senex postquam secum loqui desiit, ut primum adeundi consilium cepit, ad troch. septenarios transit. Eodem modo Most. III, 2. Tranio non inde a v. 784, ubi Theuropidem alloquitur, a senariis ad bacchiacos transit, sed iam inde a v. 783, ubi adeundi consilium declarat.

ipse impedior. Cum enim amicam suam (Bacchidem) cum alio scortatam esse putaret, omne aurum, quod ut eam redimeret, fraudulenter sibi paraverat, ipse patri reddidit. Malefacere igitur voluit Bacchidi, sed nunc, postquam falsa suspicione deceptum se esse intellexit, reddito auro iam nullam spem eius redimendae relictam habet, et non aliis (Bacchidi), sed sibi ipse nocuit. Inde simul apparet, Pii aliorumque coniecturam, quae etiam Fleckeiseno probatur, »malevolente genio«, quod nos dicimus: »unter einem boesen Stern geboren« prorsus reiciendam esse. — Sed ut redeamus unde profecti sumus, v. 622 et 624 cretici trimetri sunt, praemisso utrique versu ex cretico dimetro et troch. tripodia cat. composito: posterior trimeter creticos numeros claudit et transitum parat ad trochaicum octonarium.

Item trimeter creticos numeros claudit et transitum parat ad troch. octonarium Pseud. v. 1119:

Léno ubi essét domi me aíbat arcéssere:
Véro ubi nón venit néc vocat,
Vénio huc ultro ut scíam quid rei sit, ne íllic homo me lúdificetur.

Tetrametrum fecit Rit.:

Vérum ubi is nón venit néc [manentém] vocat

Quae hucusque attulimus trimetrorum exempla, omnia ita affecta erant, ut aut alterna tetrametros sequerentur aut clausulae essent extremae creticorum partis. Non minus autem initium faciunt creticis numeris, ut Pers. v. 802:

D. Lúdos me fácitis intéllego.
F. Vín cinaedúm novom tíbi dari Paégnium?

Praemissus est troch. octonarius: eidem igitur versus

coniuncti sunt ac locis proxime allatis, sed inverso ordine, quia se excipiunt: troch. octonarius, creticus trimeter, cretici tetrametri. Rit. autem, ut tetrametrum faceret:

D. Lúdos me fácitis intéllego. Tox. [Dígnus es.]
Vín cinaedúm novom tíbi dari Paégnium?

Non dubito, quin etiam Men. v. 574, qui bacchiacus tetrameter catal. est apud Ritschelium:

Boníne an malí sint, id haút quaeritánt:
Rés magis quaéritur quám cluentúm fides quoîus-modi clúeat,

pro cretico trimetro habendus sit:

Bónine an mali sínt, id haut quaéritant.

His autem exemplis, quae omnia certa codicum fide nituntur — alia enim afferre nolui — iam demonstratum esse videtur, de cretico trimetro nullo modo dubitari posse.

DE VERSU QUEM VOCANT CRETICUM TETRAMETRUM CATALECTICUM IN SYLLABAM.

A creticis trimetris ad aliud creticorum genus progredimur, cui cum trimetro cognatio quaedam intercedere videtur. Dico versum cuius forma haec est:

–́ ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ ⏑ ⏑ ⏓

Indagavit eum Hermannus, qui qua erat iudicii elegantia et divinatione, quanquam codicum auxiliis parum audiutus paucissimos tantum eius generis versus deprehendere poterat, tamen eorum formam non fortuitis corruptelis ortam esse subito intellexit. Nunc de versu ipso nihil iam dubitationis relictum est, sed metricam eius conformationem et structuram non eodem modo exploratam esse arbitror.

Vulgatur enim hoc genus sub nomine cretici tetrametri catalectici in syllabam: quae sententia Hermannum auctorem habet, qui in Elem. p. 216 ita disputat: »Eius posterior pars, inquit, quae semper primum paeonem habet, non est dipodia trochaica sed creticus, cui alia arsis subicitur:

— ◡ ⏖, —

Ita quidem Hermannus. Sunt tamen complures causae, quae rectius in aliam opinionem nos trahere videntur. Primum enim in fine alterius pedis hiatus et syllaba anceps non inveniuntur, quae tamen licentia in hunc quoque versum cadere deberet, si quidem quattuor pedibus constaret, quippe quae propria sit cretico tetrametro. Sed concedo, non tot eius generis versus nobis superesse, ut inde certi aliquid colligi liceat: casu enim quodam ex eis versibus, qui servati sunt, nullus ista licentia usus esse potest. Quare huic quidem argumento non multum tribuerim. Gravius autem momentum in hoc positum est, quod nulla prorsus causa intellegitur, cur ultima tertii pedis semper in duas breves syllabas soluta sit. Semper enim haec posterioris partis species est:

— ◡ ◡ ◡ ⏓

Praeterea non video, quo modo hoc versu, quem exempli gratia affero,

Vóluit in cúbiculum abdúcere me anus

in syllabis »re me an« ictum ponere pronuntiationi conveniat: ictu autem ne posterior quidem cretici pedis arsis carere potest, etsi minus feritur quam prior. Denique si quartum pedem ex una sola syllaba, eaque in arsi posita constare statuimus, haec subita numerorum abruptio ita abhorret a poetarum latinorum more, tamque asperos et

ingratos et praesecatos numeros reddit, ut mihi quidem vix ferri posse videatur.

Quae cum ita sint, nihil iam relictum video, nisi ut versum tribus tantum pedibus incedere censeamus, creticis duobus et uno — ⏑ ⏑ ⏑ —, qui pes, quanquam singularis, tamen cretico et choriambo non dissimilis est.

Quibus autem metricis legibus hoc genus utatur, Hermannus cum posteriorem partem semper primum paeonem habere diceret, recte definivit. Igitur harum syllabarum — ⏑ ⏑ ⏑ — neque prima in duas breves solvi potest, neque pro secunda longam substitui licet, neque tertia cum quarta contractionem admittit, ultima autem anceps est. Quodsi Hermannus unum versum (Pseud. v. 1297) ita composuit, ut primum paeonem non haberet, sed prima in duas breves solveretur:

Nón vides méd uti mádidus adeam?

hoc eum invitum et, ut ita dicam, memoria lapsum fecisse, inde apparret, quod illo loco nihil de ea exceptione commemorat. Versus autem complures ob alias causas non recte se habet, quod infra exponetur. Multo magis vero huic Fleckeiseni versui repugnare debemus:

Nón vides méd uti mádide madeam?

in cuius posteriori parte non solum prima soluta, sed etiam pro secunda longa substituta est. Vid. infra.

Sed videamus nunc de singulis. Ei quidem versus, quos huc referendos esse iam Ritschelius vidit, hi sunt: Most. v. 693:

Núnc dormitúm iubet me íre: minume.

Eiusd. v. 696:

Vóluit in cúbiculum abdúcere me anus.

Eiusd. v. 697:

Nón bonust sómnus de prándio: apage.

Eiusd. v. 702:

Quóm magis cógito cúm meo animo.

Eiusd. v. 706:

'Exsequi cérta res ést ut abeam.

Ad idem exemplum etiam v. 703 factum fuisse, qui in libris ita legitur:

Sí quis dotátam uxorem átque anum habet,

Rit. statuit, et recte eum statuisse arbitror. Facile quidem putes, choriambum in fine recte se habere, praesertim cum etiam praecedens versus:

Quóm magis cógito cúm meo animo,

si »meo« totum eliseris, in fine choriambum habere possit, atque inde, duobus illis generibus cum trimetro comparatis:

–́ ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ –
–́ ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ ⏑ –
–́ ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ ⏑ ⏑ –

posterior pars gradatim amplificata prodiret. Sed cum non satis cogat haec ratiocinatio, probabilius videtur in Ritschelii sententiam transeundum esse. Quanquam enim id quod ipse interposuit:

Sí quis dotátam uxorem átque anum [homo] habet,

non placet, tamen aut »eam« interponi licet:

Sí quis dotátam uxorem átque [eam] anum habet,

aut traiectione succurrere possumus:

Sí quis dotátam uxorem átque habet anum,

hoc posterius praeferendum esse duco, praesertim cum etiam v. 696 »anus« ultimum locum teneat.

Alii quoque eiusdem scaenae versus huc spectare pos-

sint, cum antepenultimam ancipitem habeant, velut v. 699, v. 707, sed praestat servare numeros, qui nunc eis tribuuntur, binos creticos coniunctos cum trochaica tripodia catalectica.

Eiusd. vero v. 336:

Núm non vis óbviam his íre anime mi?

quanquam solus est hac scena, tamen et a libris auctoritatem et a numeris excusationem habet. Atque eo minus eum sollicitare ausim, quod etiam qui sequuntur versus variis creticorum generibus constant, de quibus vid. infra. Rit. autem transposuit:

Núm non vis óbviam his íre me anime mi?

Praeter Mostellariam Pseud. V, 2 complures versus ad hoc genus pertinent. Nullus quidem legitur apud Ritschelium: unus, sed qui probari non possit (1297), apud Fleckeisenum: duo autem apud Hermannum: quorum in alterum (v. 1297):

Nón vides méd uti mádidus adeam?

iam supra incidimus. Praeter numeros offendunt etiam »med«, (cod. »me«) et »adeam« (»madide madeam« libri). Fleckeiseni versum:

Nón vides méd uti mádide madeam?

numerorum rationi non convenire monuimus, neque vitatur forma »med«. Umpfenbachius autem, alioqui homo diligentissimus, quibus erroribus hoc loco implicitus haeserit, valde miror. Cum enim Melet. Plaut. p. 35 haec scriberet: »Fleckeisenus non debebat offendi hiatu: »nón vides mé uti mádide madeam« praesertim in tanta vicinia eiusdem licentiae vv. 1309, 1310 ab ipso concessae« putavit Fleckeisenum vv. 1297, 1309, 1310 omnes ex binis

creticis et troch. tripod. cat. compositos esse voluisse, et vv. 1309, 1310 ita hiatui locum dedisse:

Líb*era ád*cubat. Péssumu's homo.
Sét, Si*mo, út* probe táctus Balliost.

Atqui Fleckeisenum vv. 1309, 1310 ex binis tripodiis trochaicis composuisse:

Líbera adcubat. Péssumu's homo.
Sét, Simo, ut probe táctus Balliost.

et apices syllabis appositi docent, et in numerorum descriptione, quae unicuique fabulae addita est, notatum exstat. — Denique Ritschelius »ego« addens duas troch. tripodias cat. coniunxit:

Nón vides me uti mádide madeam [ego]?

Hic versus per se bonus, sed emendandi ratio non probabilis est. Librorum autem scriptura, quae est:

Nón vides me út madide mádeam?

creticus trimeter cat. videri potest (ut Men. v. 331 trimeter bacchiacus), non autem constat. Fortasse corruptela latet. Utut est, hoc certum esse puto, ad id creticorum genus, de quo nunc agimus, eum versum non pertinere.
Deinde apud Hermannum legitur v. 1299:

Cúm corolla ébrium incédere? Ps. Lubet.

Huius versus pauca vestigia in A. servata sunt, unde apparere videtur, vocabulum quoddam paucis literis constans ante »lubet« intercidisse. Quare Rit. »ita« interposuit et creticum dimetrum cum trochaica tripodia cat. descripsit:

Cúm corolla ébrium incédere Ps. [Ita] lubet.

Potest autem pusillae illius turbae in A. repertae etiam alia causa cogitari, praesertim cum personae mutentur: in reliquis libris nullum lacunae vestigium est et sane

praestat »lubet« nude positum ut Pers. v. 236. Quare hic quidem Hermanni versus, etsi non certus, tamen admodum probabilis est.

Non nulli autem alii versus ab editoribus neglecti eandem formam habent:

Eiusd. v. 1286:

Sét quid hoc? quó modo? quíd video ego?

Ita enim A. recte: »tu« in reliquis libris ante »video« insertum et falsa repetitione sequentis syllabae »vi« ortum esse videtur et corrumpit sententiam. Parum recte Hermannus:

Sét quid hoc? quómodo? quíd tu? video ego?

Ritschelius »quid ita video ego« coniecit, sed abeundum non erat a cod. A. scriptura.

Eisdem numeris constare videtur eiusd. v. 1288:

Líbere hercle hóc quidem: sét vide statum.

Quanquam enim »vide« posteriorem et longam et brevem habere potest, tamen fere semper correptum invenitur, et versus bene convenit antistrophicae rationi.

Eiusd. v. 1291 de priori tantum parte dubitari potest, cum B. praebeat:

Sed hoc me votat vim facere nunc,

contra in A. ab initio versus Ritschelio »set illi« apparuerit. Hermannus iambicum dimetrum acatalectum descripsit:

Set hoc mé votat vim fácere nunc,

Ritschelius creticum dimetrum cum troch. tripodia cat. composuit:

Sét illi me hoc vím votat fácere nunc [iam]

transpositis »hoc« et »vim« et addito »iam« sed adscito

»illi« ex cod. A. Mihi ex posteriori potissimum parte, quae est »vim facere nunc« colligendum videtur, cui generi versus adscribendus sit. Prior enim pars transposito »hoc« facile in cretici dimetri numeros redigitur:

Sét hoc illi mé votat vím facere nunc.

Certa est res de eiusd. v. 1301:

Suávis ructús mihist: síc sine modo.

Ita codices. Vulgo autem »sic sine [i] modo« e Gulielmi Verisim. I, 4 adscitur. At Pseudulus, qui paullo antea (vid. v. 1284. 1285) eam ob causam Simonem domo exciverat, ut viginti minas ab eo acciperet, quo modo tunc, ubi argenti nondum mentionem fecit, Simonem ire iubere possit, non intellego. Revocanda est codicum lectio, eaque hanc potestatem habet: »sine modo me tibi in os ructare, nam ructus mihi suavis est.«

Eiusd. v. 1312:

'Omnia ut quídque egisti órdine scio:

non potest esse creticus dimeter cum troch. tripodia cat. compositus, quod Hermannus putaverat: duas enim consonantes praecedenti vocabulo positionem facere Plautini moris non est. Ritschelius »ego« interposuit:

'Omnia ut quídque egisti órdine [ego] scio:

qua mutatiooe non egemus, quia hic quoque versus isti generi adscribendus est.

DE CRETICIS CUM TROCHAICIS COMPOSITIS.

Quanquam poetis latinis non is mos erat, ut plura numerorum genera in unum versum coniungerent, tamen cretici cum trochaicis compositi apud Plautum multum fre-

quentantur. Qua autem stabilitate et sinceritate Latinorum ars metrica est, non hic illic trochaicos pedes cum creticis temere miscuerunt, sed talem coniunctionem certis legibus adscriptam esse voluerunt. Et plerumque quidem *dimetrum creticum cum trochaica tripodia catalectica* consociarunt. Tales versus et plures continuantur (Most. v. 133—136 et 707—712), et creticis tetrametris admiscentur. Tripodia autem trochaica secundi pedis thesin semper brevem habet, et omnino tam diligenter componitur, ut etiam primus pes raro a puro trochaeo abscedat. Cum dimetro cretico plerumque eum in modum consociatur, ut versus in duas partes divellatur, quare hiatus et syllaba anceps in ultima dimetri admittuntur (Most. v. 337, 342, 710), aliquoties etiam creticus dimeter cum tripodia trochaica cohaeret, ut Pseud. 1311:

Quaé tibi díxi, ut ecfécta reddidi.

Recte leguntur apud Ritschelium: Most. v. 108, 109, 113, 116, 133—136, 141, 149, 337, 342, 343, 690—692, 694, 695, 698, 699, 700, 704, 705, 707—712, 714, 717. — Pseud. v. 1285, 1287, 1292, 1294, 1309, 1311, 1314. — Bacch. v. 621, 650, 663—667 [1]).

Alii versus non satis certi sunt. Unus tantum addi potest Most. v. 151:

'Arte gymnástica: dísco hastis pila

de quo cf. Herm. Elem. p. 303.

---

[1]) Nisi quod Most. v. 711 non erat addendum »si«; et Pseud. v. 1294 solitus verborum ordo: »i in malam crucem« duce B. restituendus est, et Pseud. v. 1309 libri recte: »cúm tuo filio libera accubat«, nihil enim turbatum est, denique Bacch. v. 650: »qui duas aut tris minas a. h.« non est necessarium, ut cum Hermanno et Ritschelio »aut« debeamus.

Quaeritur iam, num Plautus hunc versum etiam sic composuerit, ut tripodia trochaica priorem et creticus dimeter posteriorem locum tenerent. Nihil sane obstat, idque Ritschelius recte vidit. Iste autem versus, quem solum ita dimetiendum esse arbitratus est, Most. v. 315:

Nam ílli ubi fui, índe effugí foras,

non dubito quin duabus tripodiis trochaicis constet:

Nam ílli ubi fui inde éffugi foras.

sed alii huc referendi sunt, Most. v. 111:

Vénit imber lavit, párietes pérplount.

Eiusd. v. 114:

'Atque haut est fabri cúlpa, set mágna pars

Eiusd. v. 152:

Cúrsu armis equo víctitabám volup.

quorum primum Rit. creticum tetrametrum fecit, »perlavit« scribens, item alterum, duce Hermanno »ea« interponens, tertium autem, multum vexatum, Hermannus Elem. p. 303 restituit, nisi quod duo versiculi in unum coniungendi erant. Non autem est neglegendum, v. 114 et v. 152 valde similes inter se esse, quia utrique versus ex cretico dimetro et tripodia troch. cat. compositus praemissus est, et utrumque trochaicus septenarius sequitur.

Dubitari potest de Most. v. 138:

Mi ádventu suo grándinem imbrem áttulit.

et eiusd. v. 783:

Núnc hunc hauscio an cónloquar: cóngrediar.

Praeterea *creticus dimeter* etiam *cum trochaica dipodia acatalecta* coniunctus invenitur. Sunt enim tres Mostellariae versus, v. 339 — 341, a quibus mutan-

dis abstinendum esse duco, praesertim cum continui se excipiant:

C. 'Ecquis hic ést? Pt. Adest. C. Eú Philolaches.
Sálve amicíssume mi ómnium hominum.
Pt. Dí te ament: áccuba Cállidamates.

Non modo eosdem numeros habet, sed etiam similem sententiam continet Pers. v. 790:

Dórdalust híc quidem: quín iube adire?

Duae quaestiones relictae sunt, quid de antistrophica compositione, quae Hermannum auctorem habet, sentiendum sit, et num cretici eas clausulas adsciscant, de quibus idem Elem. p. 208 sq. disputavit. Harum neutra satis explorata est: cum autem haec ad eas potissimum fabulas pertineat, quae a Ritschelio nondum editae sunt, illa simul reliqua omnia canticorum metra in disputationem vocari postulet, nunc utraque mihi mittenda esse videtur.

VITA.

Maximilianus Andreas Spengel natus sum Monachii ante diem III Idus Novembres a. h. s. XXXVIII patre Leonardo, prof. ord. univ. Monac., matre Iosepha e gente Klobiana, quam ante hos decem fere annos morte mihi ereptam valde lugeo. fidei adscriptus sum catholicae. primis literarum elementis imbutus gymnasium Maximil. quod Halmio tunc rectore florebat, frequentare coepi. anno h. s. LV maturitatis testimonio instructus universitatem Monac. adii, et literarum studiis deditus per quattuor annos praeceptoribus usus sum hisce: Bekkers, Halm, Iolly, Lasaulx, Prantl, Sybel, Thiersch, patre. Deinde postquam examen, quo publicum munus adeundi ius obtinetur, sustinui, Berolinum me contuli ibique per tria semestria audivi viros hos: Boeckh, Droysen, Geppert, Haupt, Trendelenburg, A. Weber. quibus omnibus, bene de me meritis, gratias ago quam maximas.

THESES.

1. Qui versus apud poetas scaenicos et Graecos et Latinos bis inveniuntur, si utrique loco conveniunt, non pro interpolationibus habendi sunt.
2. Traiectio versuum in Plauto restituendo rarissime adhibenda est.
3. Sophocl. Antig. vv. 905—914 iniuria poetae abiudicantur.
4. Tacit. Annal. IV, 34, scribendum videtur: 'novo ac tunc primum audito crimine, editis annalibus laudatoque M. Bruto, *quod* C. Cassium Romanorum ultimum dixisset.'
5. Plaut. Pseud. II, 1. Qui de gravissimis turbis cogitarunt, totum locum non intellexerunt.
6. Plaut. mil. glor. v. 204:

   Déxtera digitís rationem cómputat: ferít femur,
   Déxtrum dextra itá vehementer: quód agat aegre súppetit.

7. Eiusd. v. 227:

   Quae híc sunt visa, ut vísa ne sint, fácta *ut facta né* sient.

8. Eiusd. v. 301:

   Quín etiam nunc íntus hic in próxumost. Pal. *Eho, an nón* domist?

9. Eiusd. v. 310:

   Crédo hercle has sustóllat aedis tótas tollatque híc crucem.